

EZECHIEL, QVI VIDIT CONSPECTVM GLORIÆ, QVAM OSTENDIT ILLI DEVS IN CVRRV CHERVBIM, QVANDO ET QVOMODO VIDIT, HAVD OBSCURE PROSPEXIT IDEALEM SCIENTIAM DEI, QVA CVNCTA DISPONVNTVR, ET PROVIDENTVR.

ORBIS NAMQVE VNIVERSVS, PER ROTATIONEM CVRRVS VOLVCRIS DESIGNATVS, AFFIXVS TAMEN SVAVITER, ET FORTITER AXIDI PROVIDENTIÆ, ASSIDVÆ VOLVITVR, ET REVOLVITVR, DONEC CVRSVM PERAGAT institutum.

VERVM VERO PROVISSIONE SPECIALI FACTA EST IBI MANVS DOMINI, ET SPIRITVS VITÆ ASSIDVITAS MAXIMA SVPRA ROTAS Verſatiles Regularis Regiminis, Religioſi vè Moderaminis, vt cumque viſſum fuerit Deo Religioſorum functiones vertere ac volvere, æquum eſſe, vt Conſulant religati divinæ, potiùs quam propriæ Contracti voluntati.

A VN-

VNDE APPOSITE D. BERNARDVS LIBRO DE NATVRA AMORIS CAPITE 8.

Rotæ, in quibus est Spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec revertuntur ad faciendam suam. Si jubentur præ esse, presunt in solicitudine: Si jubentur subesse, in humilitate: si Prælati sunt, sunt sicut Patres ad Filios: si Subiecti, vt Filij ad Patres suos.

HÆC CERTE EST BENE FORMATA IDEA CAPITVLARIS MONASTICA, HÆC VERA COMITIA FRATRVM, UBI DEVS specialiter providet, vbi Spiritus Vitæ specialiter asidet.

HANC INQUAM MODO, ET SEMPER NESCIT NON ÆMVLARI, ET IMITARI STRENVE SACER TERTIVS ORDO DE POENItentia, Regularis Observantiæ S. P. N. S.FRANCISCI ASSISIATI in hac sua Provincia Vandalica, Granatensisque Regni, Primo Angelorum Principi, ac ex Omnium Supernorum Spirituum Selectisimo Primati, D. Michaeli Archangelo terque quaterque fortunatè devota, ac amplius millies fœliciter dicata; & coadunata modò pro Comitijs Provincialibus celebrandis in Conventu Magno Dei-paræ Consolatricis Hispalensis Civitatis à die 25. Mensis Maij vsque ad 28. Labentis Anni 1703.

COMI-

COMITIALIS QVATRIDVI FESTIVO-SACRA Distributio.

CVrrum Gloriæ Dei quatuor traſvehebant ibi myſteriosa animalia, quatuor & hic afferent diſcurrentia vniuerſam Pompam ſeſtivam, plena oculis prædicabilium conceptum, vt ex inde quatuor Evangeliſtarum munus ſubeuntia de curru gloriæ glorioſum ſuggeſtum efficiant, & toto cælo celeberrimum ſacrum Quatriduum.

F*Acies Leonis à dextris ipſorum quatuor* primam oſtentat diem 25. Maij, devouendam id circò ex debito multiplici Leoni illi Invictiſsimo, ac ter Fortiſsimo D. Michaeli Archangelo, Provinciæ Tutelari, & Titulari, & per præmiſſam figuram deſignato, quæ ex D. Dionyſio 15. de Cœleſt. Hierarch. *Principatum, robur, invictumque declarat animum.* Pro tanto die Concionator adſtabit R. P. Fr. IOANNES AVGVSTINVS DE LA HINOJOSA, Lector Iubilatus.

F*Acies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor* ſecundam lucem demonſtrat, 26. Maij, ipſamque Electionis diem, dedicandam ex voto, & omni ex iure conſecrandam, Aquilæ Grandi illi Magnarum alarum, plenæ plumis variegatis omnigenis ſupernarum gratiarum, & virtutum, ex quo ad Libanum venit, ſeu de Libano prodijt, tollens ex inde per Filium medulam Cedri Originariæ Incorruptibilitatis. Devotiſsimi huius, ac Pijſsi-

 mi

mi Myſterij erit Panegiriſta R. P. Fr. DIDACVS DE TORRES GALABARDO, in Conventu Cordubenſi Lector Primarius. Et ad Fratres in Capitulo orabit R. P. Fr. FRANCISCVS ANTONIVS, Prædicator Iubilatus, & Miniſter Aſtigienſis.

F*Acies hominis à dextris ipſorum quatuor* tertiam diem patefacit, Maij 27. eamque reddendam fore, pro beneficijs acceptis in Electionibus, SSmo. Patriarchæ Noſtro, ipſa imago præ ſefert, vtpotè, quia ipſe (vt inquit Marulus lib. 2. Dictor. Factor. que Memorab. cap. 4.) *Novus homo venit in mundum, vt labentem repararet Eccleſiam, quinque traditis talentis*. Pro Aſſumpto tanto oſtendetur Declamator R. P. Fr. DIDACVS QVADRADO, Prædicator Iubilatus, & Miniſter Vrſaonenſis.

F*Acies bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor* quartum detegit diem, 28. Maij, qui & ſi funeſtus, & exequialis ob juſta ſolvenda funeribus, & Monumentis Præclarorum DD. Patronorum Provinciæ, qui ex hac vita deceſſerunt; tamen per ſuffragia oblationis, & hoſtiæ pacificæ, myſtici Bouis Chriſti Deo acceptiſsimi, erit illis hilaris, & Lucidus, æternæque in pace quietis. Proclamator funeralis, & honorarius erit R. P. Fr. NICOLAVS EVGENIVS, Prædicator Generalis, Ex-Secretarius Provinciæ, & Miniſter Cordubenſis.

MA-

MAXIMO,
ET
AMPLISSIMO
VIRO,
VNDEQVAQVE

INTEGERRIMO, VI DOCTRINÆ, ET VIRTVTIS, DOMINIJ, ET POTESTATIS JVRE, QVI CONSVLTA PATRVM, qui leges, iuraque ſervat; hæc, vt ius dicat Præſes in Conſilijs, & Tribunalibus Regijs; illa, vt inſtruat Archi-Antiſtes in Eccleſiaſticis Concionibus, & Conceſsibus.

EXCELSISSIMO

PRINCIPI, VERE IN VNVM CORDVNANTI, ET IN SE MIRABILITER COMPONENTI SACRVM, ET PROPHANVM Guvernium, Eccleſiaſticum, & Sæculare, vti alius Moyſes, aut Melchiſedec, aut Samuel.

SA-

SAPIENTISSIMO DYNASTÆ, INCOMPARABILI FOELICIORI FAVSTV, QVAM ROMANI CÆSARES ILLI ANTIQVI, vtrumque Regenti Imperium, Pontificium, & Cæsareum, tametsi non absoluté, longè, Latèque, & amplè.

EXCELLENTISSIMO (INQVĀ) ILLUSTRISSIMO, AC EXIMIO

D.D.Fr. EMMANVELI ARIAS, ET PORRIS,

SVPREMI STATVS REGIS CATHOLICI A CONSILIJS, CASTELLÆ PRÆSIDI, TOTIVS REGNI QVONDAM MODERATORI, E PRIMORIBVS HISPANIÆ CANDIDATIS DIVI IOANNIS ALBO Stemmate præcipuo Heroi, Commendatoris dignitate strenua variè Condecorato, ac tandem in Celsissima Sede Hispalensis Archiepiscopatus Cœlum digito tangenti.

HVIC ERGO PATRONO TANTO, AC DIGNISSIMO Mæcenati Bœtica Tertiariorum Provincia, ac Pœnitentum PP. Regul. Observ. S. P. N. S. Francisci, ad sui celebrationem Capituli Congregata, hos volatus Theologicos ad Deum Ordinatos, & ex 1. Sent. lib. provocatos per Scotum Subtilem Aquilam Theologorum, in aliquale gratitudinis, & obsequij pignus S. L. O. C.

QVA-

QVADRIGA CHERVBIM

Ezechielis Prophetæ quatuor ſent. lib. glorioſe introducens.

AReopagita Magnus ille D. Dionyſius Prophetam Ezechielem haud immeritò inſignivit *Magni Theologi* nomine in Eccleſia Dei, cum adhuc *Eximius* ſit; ibi maximè, vbi in Quadriga Cherubim vidit conſpectum gloriæ, præclaram ſcilicet Divinitatem in eis ſedentem, è cuius ſapientiæ, & ſcientiæ plenitudine nomen claturam ſortitus eſt. Sic enim inquit lib. de Cœl. Hierarch. cap. 8. *Ezechiel Theologus à præclara Divinitate in Cherubim Sedente.* Rurſus cum Cherub, *quaſi Magiſter*, à Nonnullis videatur interpretari; id circò tota Theologia, ſeu ſapientialis ſcientia de Deo in 4. Magiſt. Sent. Libris Laconicè comprehenſa, & ex profeſſo à D. Sub. M. D. & M. N. concertata Cherubicè, per totidem quadruplicatas Expoſitiones, & Aſſertiones Theologicas devoluetur celeritèr contra adverſantia tela.



PRI-

PRIMVM CHERVB I. SENT. lib. aperiens.

FAciem Aquilæ desuper ipsorum quatuor Cherub ostendebat superius, ad eformandum equidem, & Ioannis Evangelium in primis, & ex inde lib. 1. Sent. Mag. *Quid per faciem, nisi notitia exprimitur?* Vnde cum Ioannis Evangelium à Verbi Divinitate inceptum habeat, rectè per Aquilam designatur; *facies siquidem Aquilæ* (vt ait Hugo) *contemplatio supernorum est*, vtpotè quia Aquila solem intuetur in rota; & liber 1. Theologiæ Solem Divinitatis Vnicæ, & simplicissimæ in Solis Tribus contemplatur Personis. Convolemus igitur & Nos ad hunc Solem Trinum, & Vnum quatuor pennis Cherubicis; nam quatuor pennas per quatuor partes habebat.



PENNA

PENNA I. AD DEVM Vnum.



Er Opt. ac ter Max. Deus, ratione naturali ostensus, & fide creditus, prima facie se se nobis considerandus offert sub conceptu repugnante enti creato, finito, & limitato, seu quo maius, perfectius, & excellentius excogitari nequit; cuius proinde negationem quisquis percipit, Chymęrarum omnium maximam facit chymęram. Ille autem vnus est, aut de est; & vt sit, solus est, cum non minus adversetur rationi illæsæ nullus, quam multus Deus. Ex evidentia Dei minime inferre licet ignorantiam eiusdem invincibilem, tam respectu vnius, quam respectu plurium, esse impossibilem. Quid quid dixeris,nisi Deum substantiam singularem, completam, intellectualem, spiritualem, *existentem per essentiam* dixeris, nullatenus naturam ipsius benè explicabis. Ipsa est omninò Simplex, & omninò Immutabilis, Sancta per amorem, sed absque virtutibus moralibus, propriè & formaliter acceptis. Non est substantialiter in loco per eius operationem, nec ei coexistunt res temporales physicè in æternitate.

PENNA II. AD DEVM VISIBILEM, & invisibilem.

NEdùm hallucinatur,verum & fallitur quisquis Regem Sæculor.Immor. & Invisib. oculo corporeo,aut vlla potētia materiali supernaturaliter, vel spirituali creata naturaliter, videri posse affirmat; vt pote qui non nisi ab intellectu elevato lumine gloriæ (quod simpliciter necessarium non est, tametsi defacto detur inhærens per modum habitus) & quidem eò perfectius, quo cæteris paribus, perfectior erit,videri consentit. In Beatis speciem impresam Divinæ essentiæ defacto vtilem, aut absolutè impossibilem, ne dicas admitti debere, aut da vrgens fundamentum. Videri posse essentiam Divinam sine attributis, aut attributa sinę essentia, quid vetat?Maximè cu n voluntas divina obiectum motivum sit, & ipsamet prædicata distincta inter se. Decreta Dei libera videntur, si revelentur; vndè non ex vi duntaxat visionis beatæ, & luminis gloriæ, sed revelatione addita. Possunt Beati videre in Essentia omnes creaturas possibiles, quin eam compræhendant.

PENNA III. AD DEVM INTELLIgentem, & volentem.

DEus, qui fecit Cœlos in ſapientia, & intellectu, formaliter ab eſſentia diſcrepante, cognoſcit cuncta, futura, & poſsibilia abſoluta, & conditionata, non tamen extra eſſentiam. Sciens ergo ipſe eſt ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, non verò ſcientia media, vt potè quia impoſsibilis, vel ſi poſsibilis, invtilis ad ea præſtanda munera, ad quæ ab Aſſertoribus ſtabilitur. Falsò, & fruſtraneè, *Fiat volun'as tua*, quotidie diceret quis, ſi voluntate Deus præditus non eſſet. Binos iure ſibi vendicat actus, Providentiæ videlicet, quo attingit à fine vſque ad finem fortiter, diſponitque omnia ſuaviter, & prædeſtinationis, quo, quia bonus, omnes electos ad gloriam abſq̃ prævisis meritis præordinavit; reprobos verò, quia juſtus, propter demerità, ad pœnas damnavit. Omnes autẽ vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

PENNA IV. AD DEVM Trinum.

IN profundiſsimo Sac. S. Trinitatis Arcano Vnius Dei, & Perſonarum Trium, Pater à nullo, Filius à Patre per *Dictionem*, Spiritus verò S. ab vtroque (qui ſi per impoſsibile à Filio non procederet, adhuc realiter ab eo diſcriminaretur) per eſſentialiter liberam voluntatis *Spirationem* procedit. Verbo Divino inmediatè communicatur divina natura ex vi formali productionis ipſius minime autem ſapientia eſſentialis; & Spiritui S. ſimiliter, ſervatis ſervandis. Scotum non legit, aut non intelligit, qui ipſum cum Ioanne à Ripa, quoad perſonarum divinarum conſtitutivum ſenſiſſe, aut eaſdem perſonas divinas perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ceù ſimpliciter infinitam includere, exiſtimat, cum hoc ita non ſit, & quoad illud, ſtet pro relativo.

His ſe pennis proteget ab adverſaria incurſione; & pro tuenda doctrina Scoti, ex hoc primo eruta, adſtabit P. Fr. FRANCISCVS MONDACA ET BRAVO, Lector Phyloſophiæ, ſub auſpicijs A. R. P. Fr. BALTHASARIS DIAZ DEL VALLE, Lectoris Jubilati, & Provinciæ Diffinitoris. Die 1. Capituli, & 25. Menſis Maij. Veſperè.

HIE-



HIERARCHIÆ
SERAPHICÆ VNIVERSÆ
DEGENTIS IN TERRIS PAVPERVM
HIERARCHÆ MINORI,
ET MAXIMO:
TOTIVS FRANCISCANÆ FAMILIÆ
PER QVATVOR MVNDI PLAGAS LONGE,
LATEQVE DIFFVSÆ, PLAGIS QVINQVE,
TRIBVSQVE SVFFVLTÆ ORDINIBVS
GENERALISSIMO
GENERALI:
GREGIS AMPLISSIMI,
AC PENE INNVMERABILIS PECORIS
SVPREMO NOMADI; NEC NON ARCHIMANDRITÆ PRINCIPALI, TOT FILIORVM
CIRCITER, QVOT FIDELES DOMINVS
PROMISSERAT ABRAHÆ.
N. (INQVAM) R.MO SVPERIORI,
COLENDISSIMO PATRI,
OBSERVANDISSIMO PRÆSVLI,
Fr. ILDEFONSO DE BIEZMA,
QVEM CATHOLICA ET REGIA
MAIESTAS SIBI A CONCIONIBVS
ASSVMPSIT, QVEM PIENTISSIMVS AC REGALIS
pro Immaculata Conceptione Dei-paræ Theologorum Concef-

cessus Theologum, & Consiliarum annumerat, quem omnis Religio Seraphica in Meritissimum Generalem Ministrum, & Patriarchæ Pauperum Legitimum Successorem LXXV. fœliciter evexit; quique, & si vnus in persona, in virtutibus tamen, & dotibus emicans multiplex, currum gloriæ Dei etiam in se portare dignoscitur.

HVIC ERGO PERFVLGENTI IVBARI NOSTRO, BOETICA SVA, ET GRANATENSIS Provincia S. Michaelis Archangeli, Tertij Ordinis de Pœnitentia, in Capitulo Provinciali Coagmentata, subsequentes Cherubicas Alas ex Scoto Cherub, quibus ad Deum per 2. Sent. volauit, vt sub propriarum vmbra ipsam protegat,

S O. L. C.

II. CHERVB LIB. 2. SENT. RESERANS.

LEonis faciem à dextris ipsorum quatuor secundum detegebat Cherub; profecto ad innuendum, vti omnes fatentur Interpretes, Evangelistã Marcum, qui quidem, quia à clamore in deserto incepit suam hystoriam, rectè per Leonem præfigitur. Quis vero in deserto clamabat? Homo Angelus (Ioannes) vti ex Malachia, & ex Evangelista apparet: *Ecce ego mitto Angelum meum. Fuit homo missus à Deo.* En principem materiam totius 2. lib. sent. qui quidem Deum considerat Conditorem vniversorum, maxime Angelorum, & Hominum, eorum Auxiliatorem, Iustificatorem, Præmiatorem bonorum, & malorum Punitorem: ad quem & nos, quatuor extensis Alis, volatum dirigemus.

ALA

ALA I. AD DEUM ANGELORVM Conditorem.



N principio creauit Deus Cœlum, & terram; hancque hominibus, illudque Angelis mox ornavit, quibus in gratia conditis non defuit auxilium ſpeciale, cum quo perſeverare potuiſſent, ſi voluiſſent; & ſine quo & ſi voluiſſent, non potuiſſent. Brevi morula ex illo ſtatu Angeli plurimi præcipitati ſunt in Civitatem tenebroſam, quam ædificavit inordinatus ſui amor, vbi æterno igne affligente, non tangente cruciantur. Illuminant quidem, & loquûtur per ſpecierum impreſsionem, quarum vniuerſalitatem dari, & non dari ſpecificam, & numericam eorum diſtinctionem, nulla convincit ratio. Effectus aliquos ſupernaturales ad gratiæ myſteria pertinentes, ſuppoſito iam primo miraculo, quod ſint à Deo producti, vt ab Authore ſupernaturali ſupra naturæ exigentiam, poſſunt vtique deinceps naturaliter cognoſcere, diſtinctè, & evidenter; aliquos verò non, qui præ ſe ferunt ſcilicet reſpectum ad Deum ſub ratione Deitatis, aut ſub alia ratione, ſolùm ex revelatione cognoſcibili.

ALA II. AD DEVM CONDITOREM Hominum.

HOminem, quem paradiſi Rectorem fecit Deus, ſtola innocentiæ ornatum, invidia diaboli ſeduxit, dum ipſum induxit ad peccandum, in quo omnes peccaverunt (Dei-param excipe) qui niſi in ſecundo Adam regenerentur, portabunt iniquitatem primi, ſola duntaxat pœna damni in altera vita puniendi. Cecidit amore inordinato vxoris, prius noſter peremptor, quàm parens protoplaſtus. Mortaliter cecidit, potuit tamen cadere venialiter, & in hoc caſu innocentiam conſervaret, & gratiam à iuſtitia originali diſtinctam. Humanam ſpoliavit naturam per ſuum læthale originali iuſtitia, iuſtificante gratia, Fide, Spe, Charitate, aliiſque virtutibus, & donis ſupernaturalibus. Pœnituit tandem, veniam conſecutus, & gratiam, & ſalutem æternam, vt ait Nazianz. orat. 3 *Vtrumque ſerpens decepit, vtrumque Chriſtus paſsione ſua ſalute donavit.*

ALA

ALA III. AD DEVM AVXILIATOREM, & Iustificatorem.

DEus adeò liberalis, & misericors est, vt singulis paraverit gratiam sufficientem, qùa infirma, & debilis voluntas vuas germinare sufficeret. Divinæ gratiæ subsidio ablato, nulla gratia vera, nulla præceptorem obseruantia virtuosa, nulla tentationum victoria haberi potest. Efficaciam gratiæ à consensu voluntatis, aut prædeterminatione, vel scientia media, non rectè quis colligeret; cum talis ex se formalitèr, quatenus in his, in quibus datur circanstantijs, vim habeat determinandi moraliter infallibiliter voluntatem. Qui per naturam iustus est, nos per gratiam intrinsecè inhærentem, à Charitate realiter saltem indistinctam, iustificat, filios adoptivos facit, amicos, hæredes, consortes Divinæ naturæ tantùm moraliter, & ex ordinatione Divina; quæ proinde ex physica natura compatibilis est cum peccato.

ALA IV. AD DEVM PRÆMIATOREM, & Punitorem.

DEus hominem, quem fecit, reliquit in manu consilij sui, vt libere bonos, vel malos exerceat actus, propter quos dignus vita, vel morte fiat. Actum externum malitiam, vel bonitatem superaddere interno, pauperes in plateis clamant. Bonos inter, & malos, mediant indifferentes, tam in specie, quam in individuo. De peccato ita concludas, vt ipsum à diabolo conceptum, à Deo permissum, purumque privativum debitæ rectitudinis in esse actui asseveres. Differt à mortali veniale per hoc, quod mortale sit contra præceptum, cuius observantia ad salutem est necessaria; veniale vero contra præceptum, non tam strictè ligans. Habituale aliud non est, quàm dignitas, & obligatio passiva ad pœnam. Sine acceptatione divina meritum de condigno vitæ æternæ stare nequit.

His evolabit adauctèr, vt se servet liberum ab Auibus impugnantibus, P. Fr. PETRVS ZVRITA, Phylosophiæ Lector sub ductu, & tutamine A. R. P. Fr. PETRI A SANCTA CRVCE Lectoris Iubilati, & Diffinitoris Provinciæ. Die 2. Comitiorum Provincialium, & Maij 26. Vesperè.

MAG-





MAGNIFICO

AC PERILLVSTRI HEROI,

CVIVS ANIMVM OMNES GENEROSISSIMÆ, AC NOBILISSIMÆ EXORNANT dotes, cuius ſpiritum pijſsimæ cunctæ, & ornatiſsimæ exornant virtutes, cuius ſanguinem vniuerſa facinora clariſsima, & fulgentiſsima perhonorant, cuius Stirpem, Aſcendentiam, Genealogiam omnes Hiſpaniæ Proceres, præexcelſam, & per antiquam agnoſcunt, cuius Perſonam, maximé obſervandiſsimam ob humanitatem, æquitatem, & miſericordiam, Equites Commendant, & Nobiles.

SED CVI NVM HÆC?

CVI, ET SI NON PARVA HÆC, OMNIBVS ADÆQVAT NOMEN:

D. D. ANTONIO DE CARDENAS ET GVZMAN,

SENATVS CORDVBENSIS EXPERTISSIMO SENATORI, MODERATISSIMOQVE Rectori, Domino Pagorum del Villar Viejo, y la Vega, Fon-

Fon-Real, Cansinos, Torre Albaon, & Prado Castellano, Præsidique Arcis de Montoro, & Nostræ huius, imo suæ, Provinciæ Patrono Vigilantissimo.

HVIC ERGO ORNATISSIMO VIRO IPSA SVA Provincia, ex titulo multiplici amoris, Venerationis, & gratitudinis, hos Volatus Theologicos Cherubicos ex 3. & 4. Sent. provocatos ad Deum per Scotum Doct. Nost. D.O.L.C. dum pro Comitijs Provincialibus celebrandis in vnum Congregata conspicitur.

III. CHERVB 3. LIB. PANDENS Sentt.

FAciem hominis à d extris ipsorum quatuor tertium detegebat Cherub, & designat alegoricè, ex sensu omnium vulgari, Mattheum Evangelistam Sacrum; eò vel maximè, *quia ab humana Christi generatione suum inchoavit Euangelium*, vti Hugo exposuit; cuius etiam ratione, & alegorica convenientia 3. Sent. lib. aperit, qui potissimè de Deo Incarnato, Mediatore Dei, & hominum, virtutum Amatore, & Legislatore pertractat. Igitur ad eumdem, & sub eisdemmet considerationibus, discusis & distentis pennis totidem, mentem sublevemus nostram.

PEN-

PENNA I. AD DEVM Incarnatum.



SAcroſanctum Incarnationis Myſterium à ſœculis, & generationibus abſconditum, ſi viribus cuiuſque intellectus creati attingeretur, non eſſet mirabile; ſi exemplis, non eſſet ſingulare; & ſi ex peccati occaſione fuiſſet cooperatum, non eſſet tam excellens opus. Sine contradictione potuit quævis natura, etiam inſenſibilis, vna, vel multa, ad quamvis SS. Trinitatis Perſonam, immò, & ad eſſentiam Divinam immediatè aſſumi, non item vna ad ad plures. Nil vetat, quo minus Verbum vniatur humanitati mediante medio, aut modo, ſeu nexu ab extremis realiter diſtincto; prohibet verò multum, Verbum ſupplere exiſtentiam in humanitate, etiam admiſſa diſtinctione reali inter eſſentiam, & exiſtentiam. Celſiſsimæ huius vnionis nulla præceſsit de facto cauſa meritoria, licet potuerit ex parte naturæ aſſumptæ; non vero ex parte Chriſti. Sancti Antiqui PP. accelerationem Myſterij Incarnationis meruerunt de congruo.

PENNA II. AD DEVM Mediatorem.



NUlla gratia, nulla gloria, nulla dona ſupernaturalia hominibus, & Angelis fuerunt collata independenter à Chriſti meritis, aut prævitis, aut exhibitis. Qui tulit noſtra peccata ſatisfecit pro eiſdem, non tamen de toto rigore iuſtitiæ, nec ſatisfactione ſimpliciter infinita, tametſi ſuperabundante, & excedente ex ſe ipſa; & quoad condignum attinet, potuiſſet purus homo de potentia Dei extraordinaria ſatisfacere. Libertas Chriſti cum eius phyſica impeccabilitate in obſervatione cuiuſcumque præcepti, tam poſitivi, quam naturalis, & in ordine ad meritum, quàm optimè ſalvatur, præciſe ſiſtendo in libertate remota, & intrinſeca indifferentia ad agendum, & non agendum. Virtute vnionis hypoſtaticæ minime Chriſtus redebatur formaliter impeccabilis, nec Sanctus formaliter.

PENNA III. AD DEVM VIRTVTVM Amatorem.



Egenerant virtutes per ſe infuſæ, dum habitus generant naturales. Fides iuſtificationis radix, & fundamentum, omnem propoſitionem a Deo revelatam, & revelabilem pro obiecto materiali; pro formali verò, & noſtri motivo, *Anthoritatem Divinam*, provt ſapientiam, & veracitatem præ ſe fert, ſibi vendicat. Eadem Authoritate Dei Providentis movemur, & ducimur adæquatè ad præſtandum aſſenſum Fidei Divinæ exiſtentiæ Revelationis cuiuſcumque myſterij revelati, iudicio præſuppoſito prudentis, & evidentis credibilitatis, ſimulque aſſenſu humano terminato ad exiſtentiam motivorum, in quibus talis prudens, & evidens credibilitas innititur. Nemo rationabiliter ſperat, quod futurum nullo modo credit. Unde licite deſperat, cui Deus abſolutè ſuam damnationem revelat. Charitas, qua Deus diligitur propter ſe, proximus autem propter Deum, quoad habitum, eadem eſt in via, & in Patria; non item quoadactum. Correctio fraterna eſt de Iure naturali, & divino; eſtque adhibenda, quando aliquis tantum dubitat, an pro futura ſit?

PENNA IV. AD DEVM Legislatorem.



Ui certa lege vallabat Abyſſos, & aquis ponebat legem, ne tranſirent fines ſuos, humanæ naturæ à ſe conditæ legem poſuit, vt in ea meditaretur die, ac nocte. Obligare neminem valet lex, niſi iuſta condatur, & promulgetur; quæ tamen promulgatio eius eſſentiam minimè ingreditur. Poteſt ſupremus Legiſlator in omni lege, etiam naturali, ſine vllo inconvenienti diſpenſare. Lex vetus non ſtatim ceſſavit in puncto mortis Chriſti; benè tamen poſt ſufficientem Evangelij promulgationem. Poteſt Lex humana obligare ad culpam, ſicut& actus præcipere merè internos. Merè pœnalis non obligat in conſcientia, ſubſtinere verò debet tranſgreſſor pœnam taxatam; ſed non ante Iudicis ſententiam. Finis legis non cadit ſub lege, vti in omnium ore vulgaritèr fertur.

IV. CHE-

FAciem bovis à sinistris ipsorum quatuor prodebat 4. Cherub, eaque figurabat apposité Lucam Euangelistam, qui exorsus est à Sacrificio in Templo. Sed cur à sinistris? Satisfacit Hugo: *Vitulus à sinistris per quem Passio fuisse describitur.* Vnde non abs re deducemus Sacramenta Ecclesiæ ex Christo Deo, passo & mortuo, & lancea percuso sinistro in latere, vt communiter conjectatur, prosilientia ad nostram salutem. Hæc ferè tota sunt 4. lib. Sent. materies, ex qua ad Deum convolabimus, quatuor etiam Cherubicis Alis.

ALA I. AD DEVM Regeneratorem.



NVllum præter Circuncisionem, & remedium legis naturæ, fuit ante Verbi Divini Incarnationem Sacramentum; fuisset nè in statu innocentiæ? Incertum est. Præter gratiam sanctificantem, quam non physicè, sed moraliter causant, hæc tria Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem, qui est qualitas spiritualis animæ indelebiliter impresa. Baptismus, qui est prima post naufragium Tabula, Sacramentorumque ianua, adeò in re, vel in voto necessarius est, vt nisi opportunè eo mediante naufragantibus succurratur, mergi, & ad portum Patriæ Cœlestis non accedere, sit necesse. Collatus semel ritè iterari non potest. A quolibet rationis compote, servatis servandis collatus, valet vtique.

ALA II. AD DEVM Institutorem.

SAlvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, pridie quam pateretur; Augustissimum instituit Sacramentum Eucharistiæ. Excellentissimum hoc æternæ gloriæ pignus, verum Corpus, verumque Sanguinem D. N. Iesu-Christi continens, in solis duntaxat speciebus consecratis consistit formaliter. Materia Corporis est omnis, & solus panis triticius, sive azymus, sive fermentatus; Sanguinis verò vinum de vite, cui modica aqua ex præcepto Ecclesiæ debet admisceri. Male ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem, &c.* vtriusque speciei Communionem colligunt necessariam hæretici; cum etiam ibidem ipsa veritas dicat. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

ALA

PENNA III. AD DEVM VIRTVTVM Amatorem.



Egenerant virtutes per se infusæ, dum habitus generant naturales. Fides iustificationis radix, & fundamentum, omnem propositionem a Deo revelatam, & revelabilem pro obiecto materiali; pro formali verò, & nostri motivo, *Authoritatem Divinam*, provt sapientiam, & veracitatem præ se fert, sibi vendicat. Eadem Authoritate Dei Providentis movemur, & ducimur adæquatè ad præstandum assensum Fidei Divinæ existentiæ Revelationis cuiuscumque mysterij revelati, iudicio præsupposito prudentis, & evidentis credibilitatis, simulque assensu humano terminato ad existentiam motivorum, in quibus talis prudens, & evidens credibilitas innititur. Nemo rationabiliter sperat, quod futurum nullo modo credit. Unde licite desperat, cui Deus absolutè suam damnationem revelat. Charitas, qua Deus diligitur propter se, proximus autem propter Deum, quoad habitum, eadem est in via, & in Patria; non item quoad actum. Correctio fraterna est de Iure naturali, & divino; estque adhibenda, quando aliquis tantum dubitat, an pro futura sit?

PENNA IV. AD DEVM Legislatorem.



Ui certa lege vallabat Abyssos, & aquis ponebat legem, ne transirent fines suos, humanæ naturæ à se conditæ legem posuit, vt in ea meditaretur die, ac nocte. Obligare neminem valet lex, nisi iusta condatur, & promulgetur; quæ tamen promulgatio eius essentiam minimè ingreditur. Potest supremus Legislator in omni lege, etiam naturali, sine vllo inconvenienti dispensare. Lex vetus non statim cessavit in puncto mortis Christi; benè tamen post sufficientem Evangelij promulgationem. Potest Lex humana obligare ad culpam, sicut & actus præciperè merè internos. Merè pœnalis non obligat in conscientia, substinere verò debet transgressor pœnam taxatam; sed non ante Iudicis sententiam. Finis legis non cadit sub lege, vti in omnium ore vulgaritèr fertur.

IV. CHE-

FAciem bovis à finiſtris ipſorum quatuor prodebat 4. Cherub, eaque figurabat appoſitè Lucam Euangeliſtam, qui exorſus eſt à Sacrificio in Templo. Sed cur à finiſtris? Satisfacit Hugo: *Vitulus à ſiniſtris per quem Paſſio fuiſſe deſcribitur.* Vnde non abs re deducemus Sacramenta Eccleſiæ ex Chriſto Deo, paſſo & mortuo, & lancea percuſo ſiniſtro in latere, vt communiter conjectatur, proſilientia ad noſtram ſalutem. Hæc ferè tota ſunt 4. lib. Sent. materies, ex qua ad Deum convolabimus, quatuor etiam Cherubicis Alis.

ALA I. AD DEVM
Regeneratorem.



NVllum præter Circunciſsionem, & remedium legis naturæ, fuit ante Uerbi Divini Incarnationem Sacramentum; fuiſſet nè in ſtatu innocentiæ? Incertum eſt. Præter gratiam ſanctificantem, quam non phyſicè, ſed moraliter cauſant, hæc tria Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem, qui eſt qualitas ſpiritualis animæ indelebiliter impreſa. Baptiſmus, qui eſt prima poſt naufragium Tabula, Sacramentorumque ianua, adeò in re, vel in voto neceſſarius eſt, vt niſi opportunè eo mediante naufragantibus ſucurratur, mergi, & ad portum Patriæ Cœleſtis non accedere, ſit neceſſe. Collatus ſemel ritè iterari non poteſt. A quolibet rationis compote, ſervatis ſervandis collatus, valet vtique.

ALA II. AD DEVM
Inſtitutorem.

SAlvator noſter diceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, pridie quam pateretur, Auguſtiſsimum inſtituit Sacramentum Eucharistiæ. Excellentiſsimum hoc æternæ gloriæ pignus, verum Corpus, verumque Sanguinem D. N. Ieſu-Chriſti continens, in ſolis duntaxat ſpeciebus conſecratis conſiſtit formaliter. Materia Corporis eſt omnis, & ſolus panis triticius, ſive azymus, ſive fermentatus; Sanguinis verò vinum de vite, cui modica aqua ex præcepto Eccleſiæ debet admiſceri. Male ex illo Ioan. 6. *Niſi manducaveritis carnem, &c.* vtriuſque ſpeciei Communionem colligunt neceſſariam hæretici; cum etiam ibidem ipſa veritas dicat. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

ALA III. AD DEVM VENIÆ Largitorem.

COgnoſcens figmentum noſtrum Deus, in miſericordia Dives, illi de opportuno providit remedio, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, cuius eſſentia in hiſce præciſe conſiſtit verbis, *Abſoluo te.* Præcepto annuæ confeſsionis ſatisfeciſti, quocumque anni tempore confitearis. Iuxta communem, per Pœnitentiam merita illa reviuiſcunt, quæ quondàm viva fuère; illa verò manent eadem, quæ fuère mortua. In Eccleſia theſaurum eſſe, ex quo ſalutiferæ extrahuntur Indulgentiæ, ad ditandas animas, tàm vivas, quàm defunctas, per modum ſuffragij, Catholicorum nemo negat.

ALA IV. AD DEVM Deſponſatorem.

INdiſſolubilem, perpetuumque Matrimonij nexum, primus humani generis parens Divini Spiritus inſtinctu tunc pronuntiauit, quando, *hoc nunc os ex oſsibus meis*, dixit; quem in finem ſæculorum à Chriſto in Sacramentum novæ legis elevatum, docet S. Synodus Tridentina. Citra diſpenſationem Dei, numquam licita fuit Polygamia. Negantes Extremæ Unctionis, & Ordinis Sacramenta, damnat, & anathematizat S. M. Eccleſ. Præter ſeptem partiales vulgares Ordines, octavum, videlicet, Epiſcopatum, cum ſuo Principe, Subtilium Schola propugnat.

SVB HIS SE DEFENDET, ET IMMVNIS ſervabitur à contrarijs Invaſionibus P. Fr. LOYSIVS DE VARGAS PONCE DE LEON, Præſide R. P. Fr. IOANNE DE LA VEGA, in ſupra memorato Conuentu Lectore Primario. Die 3. Provincialis Cœtus, & 27. Maij.

Veſpere.

HISPALI, Ex Typograph. Officin. IOANNIS DE LA PVERTA, in Vico de las *Siete Rebueltas.*